



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,  
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

**Fabri, Honoré**

**Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII**

Quæstio 9. An confessarius possit credere pœnitenti dicenti habere  
licentiam à superiore, ut à reservatis absolvatur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

aliâ revocationem, vel suspensionem decreti Urbani publicasset, ut Regulares, ad subsidium suis elemosynis ferendum bello, contra Ecclesiâ inimicos, exeretentur, & nullus in posterum ab usu Cruciatæ retraheretur.

35. Ad quintum respondeo, esse improbableem verbis legis standum, licet legislator extra legem dicat, se aliter intellexisse, si aliâs, ut in præsentî contingit, per aliam novam legem declaret priorem. Omitto opinionem illam in quocumque casu esse satis difficilem, quia, ut bene P. Suarez de legibus, lib. 6. cap. 1. n. 16. mens legislatoris utcumque sufficienter cognita est verbis legis præferenda anima enim legis, intentio legislatoris est, ut docent communiter Theologi, & jurisperiti.

36. Ad sextum, omittis solutionibus P. Suarez, Cardin. de Lugo, & P. Bardi *suprà* cap. 5. sect. 2. §. 3. nu. 35. fateor, me congruam rationem non invenire, cur Pontifex, cum id facilius esset, non exceperit expressè in Cruciatâ Regulares, quoad articulum eligendi Confessarium pro reservatis. Hoc tamen removere nos nequit ab opinione præfixa, nec quis cordatus aliud sentire potest, ni imprudenter, & temerè asserat, Pontificem fideles decipere in re gravissima ad mores & animarum salutem pertinente, dum Apostolica auctoritate declarat, Bullam Cruciatæ quoad prædictum articulum Regularibus suffragari non potuisse, nec posse. Hæc enim propositio, & declaratio à perniciosissimo mendacio excusari nequiret, si Bulla Cruciatâ Regularibus suffragari potuisset, & posset. Quis autem Catholicos talia proferre audebit?

37. Maneat igitur omnino certum, decreta, & constitutiones Sedis Apostolicæ circa clausulam Bullæ Cruciatæ, aliorumque indultorum in generali concedentium facultatem eligendi Confessarium pro reservatis, Regularibus nullo modo suffragari posse, ut sua constitutione perpetuo valitura Sedes Apostolica declaravit. Quapropter, si postea Pontifex intendisset, Regularibus concedere privilegium Cruciatæ quoad prædictum articulum, deberet illos exprimere, ut de ejus intentione sufficienter constare posset, & ita videmus exprimi in Jubilæo anni Sancti, quod singulis 25. annis, & jam frequentius ex aliqua urgentissima Ecclesiæ causa concedi solet (& Religionis omnibus, etiam Societatis suffragatur, ut bene notat Mendo *suprà* sect. 15. n. 170. quia in eo derogatur privilegio quibulvis Religionibus concessus.) Ex quo etiam planè colligitur, Pontificem non intendere Regulares comprehendere, dum eorum in specie non meminerit: quando enim aliud intendit, eorum expressam mentionem facit. Quibus non parum favet regula illa juris in 6. cap. 2. de pœnitentiâ, & remissionibus. Sub clausula generali non comprehenduntur particularia, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus.

38. Ex omnibus hucusque dictis concluditur, nullum Confessarium, etiam deputatum à Prælo pro subditorum confessionibus, posse absolvere Regularem exigentem virtute Cruciatæ absolutionem à reservatis. Quod si aliquis ejus virtute absolutus fuerit, tenebitur confessionem reservatorum iterare, ut potè quæ, saltem directè, in præcedenti, remissa non fuerunt. Nec audiendus Joannes Martinez de Prælo ubi *suprà*, dum nu. 28. ait: Dico tertio, propter prædictas Pontificum constitutiones, ego nulli Regulari consulere, quod uteretur Cruciatâ, quoad absolutionem à reservatis; tamen si defecto illa fuisset usus, non cogere confessiones repetere, quia illam

opinionem esse improbabilem penitus, non debet asserere. \* Sed falso ut probavi. Et si non constet quia in eodem tom. 1. cap. 1. de Conscientia, quod nu. 18. ex professo probat, & defendit per seipsum non licere sequi opinionem nimis probabilem, & communem. Inconsequenter ergo modo assent, licet penitenti opinionem non penitus improbabilem, & non tutam amplexari.

39. Est tamen advertendum, quemcumque Confessarium, semel auditâ peccatorum confessione, teneri sub mortali quantum in se fuerit, impetratâ superiore facultate ad absolvendum (si aliam penitentiam non agere ferat alteri confiteri) nam cum Confessarius possit, obtenta facultate superiore, Regularem absolvere, grave illi onus imponitur, eligendo, ut alteri confiteatur. Advertendum etiam confessionem, nam aliter ad id non tenetur, nisi ea Religione, & cum eo Confessario, cui idem esse dicere, indigeo tibi confiteri, ac in reservatis locum in tali enim eventu, ex charitate saltem teneatur, quia eadem videretur militare ratio, ac si confessionem exceperisset.

## QVÆSTIO IX.

*An Confessarius possit credere penitenti dicenti se habere licentiam à Superiore, ut à reservatis absolvatur*

1. **C**asus curiosus, ejusque resolutio communi plausu recipienda, quia communis Doctorum sententia affirmativè respondet. In Abbas, Bonifacius, Stephanus, & Immoletus in Clement. 1. de Privilegiis. Henricus cap. Omnia de Penit. & remission. n. 25. Angelus verb. Confess. 3. n. 32. Sylvest. ibidem 1. q. 17. Armilla ver. Absolut. nu. 2. quos sequitur Thome Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 37. num. 1. & 2. & fundamentum est, quia penitenti in foro confessionis, pro se, & contra se credendum est, ut ex eodem Sanchez, Henriquez, & aliis docet Sanctius in 3. diff. disp. 7. numer. 1. & disp. 9. numer. 7. & patet etiam disp. 7. q. 31. juxta mentem D. Thomæ, & aliorum. Poterit igitur Confessarius credere Regularem, ut cuius alteri assenti, habere à superiore licentiam, ut absolvatur à reservatis; & consequenter absolutionem impetiri. Adde, auditis peccatis, auditâ mortali teneri, juxta dicta questione præcedentem, nam quoties Confessarius potest licitè absolutionem impendere, ad illam exigendam habet potestatem, ut alibi diximus ex communi Doctorum, qui sequitur Sanctius in Select. disp. 33. in fin.

2. Hanc doctrinam ego limitarem in Societate, si qua alia est Religio, in qua non sit in usu eorum subditis facultatem, ut pro libito eligant Confessarium pro reservatis. In his enim moraliter certum est, penitentem non habere licentiam à Superiore Religionis, sed opinioni Bullæ Cruciatæ reservatum, absolutionem exigere; quam quidem opinionem, absolutionem ex Pontificio decreto sciat, nec Confessarius ex Pontificio decreto sciat, nec habere, non poterit virtute Bullæ absolutionem impendere, sed tenebitur, ignorantiam penitentis, ut quantum possit, auferte, & declarare, si non possit

lam absolvere. Quod si de licentia pœnitentis dubitans, intendat, ut debet, in quantum possit absolvere: & Sacramentum validum sit, eo quod pœnitens inter reservata confiteatur simul, bonâ fide, alia peccata, ad quæ confessarii jurisdictionem extenditur, tenebitur pœnitens, veritate comperta, coram superiore, seu ejus delegato comparere. Quia indirectè tantum à reservatis absolutus est.

Q V Æ S T I O X.

*An confessarius, qui opinionem Bullæ Cruciatæ probabilem existimaret, posset absolvere Regularem ejusmodi privilegii omnino ignarum, vel eo uti nolentem.*

1. CŪm aliqui sint Confessarii, pro dolor! qui aliorum, quos doctos reputant dictis inherentes, probabilem à principiis extrinsecis judicent opinionem Cruciatæ pro Regularibus quoad articulum eligendi Confessarium pro reservatis. Restat adhuc singularis difficultas, an ex suppositione, quod talem opinionem probabilem existimaret Confessarius, posset absolvere Regularem penitus, se habere privilegium ad eligendum Confessarium, quod contingere posset, vel quia reverà pœnitens non assumpserat Bullam, sed Confessarius pro illo omnino infcio, vel quia licet Regularis Bullam susceperit, putat tamen improbabilem opinionem, sibi faventem: vel si probabilem judicat, non tamen vult aded anticipari privilegio absolutionem obtinere. In his ergo circumstantiis præsens difficultas procedit, quam apud nullum exagitatam reperio.

2. Pars negativa suaderi videtur. Primò, quia privilegium non prodest privilegiato, priusquam de illo notitiam habeat, ut asserunt communiter Doctores, quos refert & sequitur Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 36. n. 2. & quando privilegium non conceditur ad instantiam privilegiati, sed motu proprio, vel alio pro ipso exigente; est res magis certa, quam cum Sylvestro tenet Vazquez 1. 2. disp. 156. cap. 4. n. 33. & supponunt Angelus, Sotus, Veracruz, Lopez, & alii, apud Sanchez supra n. 1. Suadet secundò, quia Pontifex nulli communicat jurisdictionem ad absolvendum virtute Bullæ, nisi media voluntate pœnitentis, cuius hoc privilegium eligendi proprium est; nam privilegiatus non cogitur uti suo privilegio, & multò minus, quando ejus usus in aliquod ipsius detrimentum verti posset. Ergò dum Confessarius non eligitur à pœnitente virtute Cruciatæ, nullam accipit à Pontifice jurisdictionem: sed pœnitens privilegii Cruciatæ ignarus, vel eo uti nolens, non eligit Confessarium virtute Cruciatæ ad absolutionem reservatorum: ergò nequit Confessarius ejus virtute à reservatis illum absolvere: & ita tradere videtur Suarez lib. 8. de legibus, cap. 25. n. 10. & 23. cui cum Joanne Sanctio, & Gaspare Hurtado consentit Oviedo 1. 2. tract. de cons. cons. 3. p. 4. n. 43. & 44. ratione periculi, cui pœnitentem exponit.

3. Nihilominus pars affirmativa non videtur improbabilis; ac proinde si Confessarius judicaret

probabilem opinionem pro Regularibus, posset licet virtute Cruciatæ pœnitentem ejusmodi privilegii omnino ignarum, vel eo uti nolentem à reservatis absolvere. Probatur primò, quia probabile est, privilegium prodesse privilegiato illud ignoranti, ut docent Archidiacon. Zinus, Alvericus, Paulus, Bonifacius, & alii Juristæ apud Sanchez supra num. 1. Et de privilegiis remuneratoriis, quale est privilegium Cruciatæ, tradunt Sanchez supra num. 3. Bonacina de legibus disp. 1. quæst. 3. punct. 3. n. 15. & alii apud ipsos. Præterquam quod, quicumque præsumitur acceptare Cruciatam à quovis alio pro ipso, licet infcio, assumptam, & per consequens saltem in genere, & implicite omnia indulta, quæ in illa continentur.

4. Probatur secundò, quia eo ipso, quod pœnitens subditur Confessario absolvendus, implicite saltem vult efficaciter, eum habere jurisdictionem ad talem actum requisitam, & consequenter in quantum potest, vult ad illam concurrere, & quantum in se fuerit, eo modo, quo possit, Confessario conferre, ne confessio fiat invalida: Ergò saltem implicite vult acceptare, & uti quocumque privilegio, vel medio ad hunc finem consequendum requisito: ergò si privilegium Bullæ, etiam per alium assumptæ, possit ipsi prodesse, efficaciter desiderat, ejus virtute absolvi, casu, quo Confessarius certiorum aliam jurisdictionem non habuerit. Patet consequentia, quia habens voluntatem alicujus actionis valide exercendæ, vel suscipiendæ, eo ipso habet voluntatem implicitam eorum, quæ ad prædictum actum valide exercendum, vel suscipiendum requiruntur, ut pluribus probat Lugo disput. 15. de pœnit. sect. 6. num. 119.

5. Tertiò tandem probatur, quia si ex aliquo capite id non liceret Confessario, maximè, quia se exponeret periculo irritandi Sacramentum; sed hoc non sequitur, ergò, &c. Minor probatur: quia eo ipso quod pœnitens simul cum reservatis confiteatur alia non reservata, certus est confessionis valor, eo quod Sacerdotis jurisdictio in aliquam materiæ partem certa sit: ergò si aliundè ex probabili jurisdictione circa reservata ab illis absolvat, omnino certa, & tuta erit absolutio, ut docent Suarez, Bonacina, Diana, Granado, Palao, uterque Sanchez, Turrian. Lessius, Malderus, & alii, quos sequitur Lugo disput. 19. sect. 2. nu. 18. Quod autem Sacerdos ex opinione probabili absolvens, non solum non delinquat contra Religionem, sed nec contra Charitatem, bene probat cum pluribus Lugo supra num. 30. & 33. Et hoc procedere, quamvis minus probabilem, minusquè tutam sequatur, tradit Leander disput. 11. q. 79. & tenent apud illum Sanchez, Vazquez, Villalobos, Salas, Bonacina, & alii. Imò addit Suarez disput. 26. sect. 6. n. 9. absolutionem fore validam, licet Confessarius certò sciret, se non habere jurisdictionem in reservata: sed in hoc casu graviter peccaret absolvens. Nihil igitur est, quod obstare possit, seu impedire valorem absolutionis, neque illam, modo quo supra collatam, reddere illicitam.

Fundamenta partis oppositæ, ex dictis, sufficienter soluta manent.

(4)

L14

QUÆSTIO